

SPECIES ALIQUOT NOVAE VEL MINUS COGNITAE
GENERIS PODALIRIUS LATR. (Anthophora aut.)

a H. FRIESE Oenipontano descriptæ.

1. *Podalirius albosignatus* n. sp. ♂ ♀.

Podalirio mucido (et *Romanulii*) simillimus; sed subtus nigro-villosus, ♀ scopa atra, abdominis segmentis 1—2 ferrugineo-hirtis, ♂ facie albosignata, antennarum flagelli articulo 2 longissimo, pedibus nigro-hirtis.

♀. — Niger, ferrugineo-hirtus, capite albo-hirsuto, genis distinctis, abdominis segmentis 1—2 ferrugineo-hirtis, marginibus anguste albido-ciliatis, reliquis (3—6) obscure-hirtis, scopa atra, penicillo fuliginoso, calcaribus fuliginosis. — Long. 16—17. mm.

♂ — ut *mucidus*; sed flagelli articulo 2 tribus sequentibus longiore, mandibulis nigris; clypeo, labro, macula oculi margine inferiore scapoque antennarum albis; pubescentia abdominis ut in ♀, sed sine ciliis albidis, segmento 7 fuliginoso-hirto, emarginato, ventralibus ut in *caucasicus* constructo; tarsorum intermediorum articulo unguiculari utrinque nigro-ciliato. — Long. 15—16 mm.

Europa meridionalis. (Græcia, Sicilia, Syria.)

2. *Podalirius mucidus* Gribod. ♂.

1873. — *Anthophora mucida* GRIBODO, Bull. soc. entom. ital. V. p. 80. ♀.

♂. — Ut *P. caucasicus*; sed mandibulis nigris, antennis nigris, flagelli articulo 2 tribus sequentibus conjunctis brevior; abdominis segmento 3 margine sæpe albociliato, segmentis ventralibus sparsim punctatis, 6 plano utrinque fasciculo pilorum brevium nigrorum; tarsorum intermediorum articulo unguiculari utrinque nigro-ciliato. — Long. 15—16 mm.

Europa meridionalis (etiam Wallis, Bozen.)

3. Podalirius retusus L. var. obscurus n. var. ♂ ♀.

♀. — Toto nigro-hirsutus, abdominis segmentis 2—4 margine fusco-ciliatis, scopa ferruginea, calcaribus pallidis.

♂. — Thoracis disco, abdominis segmento 2 nigro-hirsutis.

Europa mer. centr., Baden, Tirolia merid., Budapest, Spalato.

4. Podalirius retusus var. sareptanus n. var. ♀.

♀. — Thorace toto fulvo-hirsuto, scopa ferruginea, penicillo fusco, segmentis ventralibus rufis.

Russia meridionalis: Sarepta (BECKER).

5. Podalirius acervorum var. niger n. var. ♂ ♀.

♀. — Toto nigro-villosus, scopa ferruginea, calcaribus nigris.

♂. — nigro-villosus; sed thoracis disco abdominisque segmento 1 fuliginoso-villosis.

Europa borealis, centralis (♀); Corsica (♂)

6. Podalirius acervorum var. nigripes n. var. ♀.

♀. — Ut *var. niger*; sed scopa fere nigra.

Dalmatia.

7. Podalirius acervorum var. albipes n. var. ♀.

♀. — Ut *acervorum* cinereo-villosus, scopa autem alba.

Tirolia (Innsbruck).

8. Podalirius orientalis MOR. var. flaviventris n. var. ♂.

♂. — Abdomine thoraceque flavo-griseo-villosis, concoloribus.

Syria (Mus. Vindob.); Algeria (Coll. SAUNDERS.)

9. Podalirius balearicus n. sp. ♂ ♀.

Ut *Sichelii*; sed griseo-hirsutus, abdominis segmentis 2—4 albidociliatis, ♀ scopa albida, ♂ facie flavo-maculata.

♀. — Niger, griseo-hirsutus, occipite discoque thoracis pilis nigris intermixtis, clypeo grosse punctato, labro grossissime rugoso, genis distin-

ctis, lævibus; antennis piceis, articulo 2 tribus sequentibus æquali, 3 quarto brevior; thoracis disco disperse punctato, opaco; abdominis segmento 1 longe villosus, reliquis griseo-hirtis, 2—4 margine albo-ciliatis, 5—6 nigro hirtis. Pedibus fuscis, tibiis extus albo-hirtis, scopa alba, metatarsis fusco-, intus fuliginoso-hirtis, calcaribus fuscis. — Long. 12 mm., lat. 6—6½ mm.

♂ — feminæ similis; sed clypeo, scuto frontali, labro, interoculari et scapo antennarum flavo-signatis, flagelli articulo 2 tertio quartoque vix longiore, segmentis ventralibus deplanatis, 6 utrinque impresso et emarginato. Tarsorum intermediarum articulo 1 postice nigro-fasciculato, reliquis prolongatis albido-hirtis, tibiis metatarsisque posterioribus apice albo-pilosis, calcaribus testaceis. — Long. 12 mm.

var. ♂ — capite, thoracis disco abdominisque segmentis 2—7 maxima parte nigro-hirsutis.

var. *Moraguesii* Pérez i. l.

Insulæ baleares (Ebusa, Mallorca), mense Aprili in floribus *Salviæ*.

10. *Podalirius cincreus* n. sp. ♀.

Ut *crinipes*; sed corpore longiore, clypeo grosse punctato, medio lævi nitidoque, antennarum flagelli articulo 2 tribus sequentibus multo longiore, genis longis, abdominis segmentis margine nigris, 2—4 albido-ciliatis, 4—6 nigro-hirtis; segmentis ventralibus fuliginosis, punctatis, albido-, medio nigrescenti-ciliatis; thoracis disco vix pilis nigris intermixtis. Pedibus albido-, intus fuliginoso-hirtis, scopa alba, metatarso extus albo-, intus fuliginoso-hirto, penicillo fusco, calcaribus fuscis. — Long. 12—13, lat. 5—5½ mm.

Russia meridionalis: Sarepta, BECKER, Mus. Vindob., Coll. SCHULTHESSII.

11. *Podalirius astragali* MORAW. ♂.

1878. — *Anthophora astragali* MORAWITZ, Horæ soc. entom. Ross. XIV. p. 29. ♀.

♂. — Ut *salviæ*; sed antennis longissimis, subtus testaceis, serratis; facie, mandibularum basi, scapoque antennarum antice flavis, genis nullis; thorace sparsim hirsuto, opaco. Abdomine dense punctato, segmento 1 longe albo-piloso, 2—5 margine albo-fasciatis, 6—7 dense albo-hirtis, anali (7) emarginato, angulis acutis; ventralibus disco longe albo-fimbriato, 6 rufo; pedibus nigris, tarsis rufis, albo-hirtis, tarsis intermediis prolongatis, femoribus posticis tibiisque incrassatis, tibiis apice intus dente armatis, metatarso intus sulcato, apice dente parvo armato;

calcaribus albis; alis hyalinis, nervuris fuliginosis, tegulis testaceis. — Long. 10 mm.

Caucasus (Vallis Araxes, Mus. Vindob.)

12. *Podalirius simplicipes* MORAW. ♀.

1880. — *Anthophora simplicipes* Morawitz, Bull. acad. scienc. Pétersbourg. XXVI. p. 344. ♂.

♀. — Niger, ut *parietinus*; sed capite abdomineque concoloribus fulvo-hirsutis; tegulis fulvis, tarsis quattuor ultimis ferrugineis. — Long. 14—15 mm.

Turkestan (Alai).

13. *Podalirius simplicipes* var. *semiater* n. var.

♀. — Niger, ut *parietinus* var. *Schenckii*; sed capite, thorace abdominisque segmento 1 nigro-pilosis, tegulis fulvis, scopa testacea, penicillo ferrugineo. — Long. 15 mm.

Turkestan (Alai).

14. *Podalirius nigropilosus* n. sp. ♂.

♂. — Niger, nigro-hirsutus, occipite, thorace supra, abdominis segmento 1 dense fulvo-hirsutis; facie tota nigra, clypeo deplanato, lavi nitidoque, labro triangulari, punctato; genis linearibus; tibiis posticis metatarsisque postice longissime nigro pilosis, pilis fortiter pennatis; calcaribus fuscis; alis lacteis, nervuris fuliginosis, tegulis testaceis, dense fulvo-hirsutis. — Long. 13 mm.

Algeria (Mus. Berolin.)

15. *Podalirius nigricornis* MORAW. ♂.

1873. — *Anthophora nigricornis* Morawitz, Horæ soc. entom. Ross. IX. p. 45. ♂.

1895. — *Anthophora nigricornis* Morawitz, ibid. XIX. p. 8. var. ♂.

♀. — Niger, albido-hirsutus, ut *pivicornis* ♀; sed major, antennis supra nigris, subtus piceis, flagelli articulo 2 tertio quartoque vix longiore; fasciis abdominis angustioribus, calcaribus fuscis. — Long. 11 mm.

Caucasus; Algeria (SAUNDERS).

16. Podalirius ferrugineus var. alboferrugineus n. var.

♀ — Niger, dense ferrugineo-, subtus albo-hirsutus, genis nullis, antenrum flagelli articulo 2 tribus sequentibus æquali, clypeo ruguloso-punctato, scopa alba, penicillo ferrugineo, metatarso intus fusco-hirto.

♂ — antennis nigris, flagelli articulo 2 duobus sequentibus æquali, 3 quarto paulo brevior, 4 quadrato, pedibus albo-hirtis, valvula anali carinata, segmentis ventralibus punctatis, albo-pilosis, 3—4 deplanatis, 5—6 impressis. — Long. 15—16 mm.

Hispania, Algeria, mense Maio Junioque (Mus. Vindob., Berolin. Coll. SAUNDERSII.)

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Monografien Entomologie Hymenoptera](#)

Jahr/Year: 1896

Band/Volume: [0151](#)

Autor(en)/Author(s): Friese Heinrich [Friedrich August Karl Ludwig]

Artikel/Article: [Species aliquot novae vel minus cognitae generis Podalirius LATR. \(Anthophora auct.\). – Termeszetr. Füz. 19 265-269](#)